



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

**Oviedo, Francisco de
Lvgdvni, M.DC.LI.**

Punct. I. Quid sit genus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

obliquo, nego. Deinde concedo minorem, videlicet Deum assumptis humanitatem, & distingo consequens: assumptis hominem, secundum id quod dicit in obliquo, nego; secundum id præcisè, quod dicit in recto, videlicet secundum humanitatem, concedo.

16 Dico nonò: Hæc propositio, *humanitas est homo*, est propositio accidentalis, sicut hæc, *accidens est inherens subiecto*, quæ potest esse vera, & potest esse falsa, de facto tamen semper est vera. Prior pars probatur, quia facit hunc sensum *humanitas est natura humana cum subsistentia*, esse autem cum subsistentia, accidens est quod potest separari: ergo est prædicatio accidentalis, cui veritas, & falsitas potest contingere. De facto veram esse ex eo infero, quod nulla detur humanitas, quod non sit cum subsistentia propria, vel aliena, imò si vna tantum haberet subsistentiam, esse vera, quando terminus *humanitas* poneretur indefinitè ex parte subiecti, quia terminus indefinitè positus in materia accidentali æquivaleret particulari.

17 Dico decimò: De concretis accidentalibus substantiis simplici nomine significatis, sicuti artifex, & creator, non possunt abstracta prædicari. Hæc conclusio est per se nota, non enim dicimus *artifex est artifex*: ratio à priori est, quia hæc cōcreta dicitur in recto subiectū, quod à forma distinguitur.

18 Dico undecimò: De concretis accidentalibus, quæ significantur per huiusmodi complexa *albedo in pariete, dulcedo in saccharo*, rectè prædicantur propria abstracta, hæc enim est vera prædicatio *albedo in pariete est albedo*, quia dicunt formam in recto, quæ per nomen abstractum significatur, & ita prædicatum harum propositionum identificatur cum illo, quod in recto ex parte subiecti significatur. Ob eandem rationem huiusmodi concreta de propriis abstractis prædicantur, accidentaliter tamen ratione illius quod ex parte prædicati additur in obliquo, hæc enim est accidentaliter prædicatio *albedo est albedo in pariete*.

19 De terminis secundæ intentionis assero, concreta secundæ intentionis prædicari de concretis primæ intentionis, dicimus enim *homo est species animalis est genus*, ita tamen prædicata subiecta afficiunt, ut illa immobiliter faciant supponere, non enim licet prædicatum per inferiora distribui, nec possumus inferre, homo est species: ergo Petrus est species. Prædicantur item concreta secundæ intentionis de abstractis primæ intentionis, dicimus enim *animalitas est genus*, quia cum hæ sint veræ prædicationes *humanitas est animalitas: equinitas est animalitas*, animalitas se habet tanquam genus respectu humanitatis, & equinitatis. Non tamen possunt prædicari abstracta secundæ intentionis de concretis, neque de abstractis primæ intentionis, non enim potest dici *homo est species animalis est genericitas*, neque *humanitas est specificitas*, aut *animalitas est genericitas*. Concreta verò secundæ intentionis inter se rectè prædicantur, rectè enim dicitur *universale est genus: genus est universale, & genus est species*. Tandem dico circa concreta & abstracta secundæ intentionis inter se prædicanda regulariter easdem regulas observandas esse, quas tradidimus de terminis primæ intentionis, videndum tamen in his sæpe confundi formas cum subiectis, nam eadem formalitas, quæ modò consideratur afficiens naturam, postea consideratur affecta aliâ formalitate, v. g. genericitas, quæ consideratur tanquam forma afficiens naturam, quam denominat genus, potest rursus considerari tanquam subiectum, cui contingit specificitas, ex vi cuius species denominatur, genericitas enim species dicitur respectu huius, & illius genericitatis. Ratio est, quia cum hæ formæ, per rationem adueniant, in infinitum ferè possunt procedere, quapropter in re parum vtili non ultra procedam.



CONTROVERSIA IV.

De genere.

ROSTQVAM explicuimus naturam vniuersalis in communi, aggredimur iam explicationem suorum inferiorum in particulari, quæ vulgò quinque prædicabilia dicuntur, quorum primum sibi locum Genus vendicat, cuius naturam præfens Controversia explicabit.

PUNCTVM PRIMVM.

Quid sit genus.

Relictis variis acceptionibus huius nominis *genus*, genus Logicum, de quo nostra instituitur disputatio, primò fuit à Porphyrio definitum, *Genus dicitur, cui supponuntur species*; secundò, *Genus est quod de pluribus differentibus specie, in eo quod quid est prædicatur*. Prima difficultas quæ circa hanc definitionem occurrit est, an illa constet genere, & differentiâ; videtur enim generis non posse dari genus, aliàs genus esset species, quod videtur implicare, quia ratio generis, & speciei inter se opponuntur.

2 Affirmant nonnulli in hac definitione nullum reperi genus, quia accidentia & concreta accidentalia rectè per subiectum loco generis constitutum definiuntur. Communis veriorque sententia asserit in hac definitione reperi verum genus, & generis posse dari genus, quod sic euinco. Genus habet hoc quod est taliter prædicari de suis inferioribus: ergo in genere reperiuntur duo conceptus, primus est esse prædicabile de inferioribus, qui communis est quinque prædicabilibus; secundus est taliter prædicari de inferioribus, per quem differt formaliter à reliquis prædicabilibus, & in ratione generis constituitur: ergo genus species quædam est respectu cuius vniuersale se habet tanquam genus: ergo rectè poterit per proprium genus, & propriam differentiam explicari.

3 Difficultas primò proposita, & aliæ eiusdem rationis, quæ in hac re molestè obiciuntur, expeditam solutionem habent, si rem attentè inspicias. Respondeo id, quod est essentialiter genus posse accidentaliter speciem denominari per aliam secundam intentionem, quæ accidentaliter illi contingit, sicuti homo qui essentialiter tantum est animal rationale, potest accidentaliter species denominari, quod accidit generi, hoc enim essentialiter est genus, & dicit concretum quoddam constitutum per cognitionem confundentem plures species, sicuti species dicit concretum aliud constitutum per cognitionem aliam confundentem plura indiuidua, quæ rationes essentialiter sunt generi, & speciei. Iam ergo genus, & species sic essentialiter constituta possunt confundi per aliam cognitionem reflexam, ex vi cuius absque vlla distinctione vtrumque cognoscatur significatum per hunc conceptum vniuersale, ex vi cuius cognitionis ab illis ratio quædam abstrahetur, respectu cuius veluti species se habeant. Cum verò accidentale sit generi ita confundi per illam cognitionem, quam terminat simul cum specie, quia ex se tantum petit tanquam formam cognitionem confundentem species, & non aliam ad ipsum terminatam, per quam confundatur; hinc est quod accidentaliter denominatio speciei generi conueniat, & non per eandem formam, quia genus constituitur essentialiter per cognitionem confundentem speciem quam intrinsecè includit in ratione generis, & denominatur species per formam extrinsecam, videlicet per cognitionem ad ipsum terminatam, ex vi cuius confunditur cum aliis prædicabilibus, & cognoscitur vniuersale tanquam obiectum, & hoc constituit formaliter genus respectu primi prædicabilis, & reliquorum prædicabilium, quæ omnia sunt species vniuersales.

4 Ex his inferes genus non ita opponi cum specie, ut generi iam essentialiter constituto non possit alia forma extrinseca accidere, ratione cuius denominetur species, sed tantum opponi secundum formas essentialiter constitutivas vtriusque, ita ut implicet per eandem formam constitui formaliter genus, & speciem, & essentialiter non differre formam constitutiuam generis, & constitutiuam speciei.

5 Ex hac doctrina respondebis alij argumento, quod multum negotij recentibus Dialecticis facessit. Sic obiicitur: Genus definitur per genus: ergo definitur per se ipsum, quod implicat, quia definiri nihî aliud est quam explicari, nihil autem potest per se ipsum explicari. Respondeo genus, neque aliud quodvis definitum non definiri, neque explicari per genus, sed per naturam,

H 4 cui

cui accidentaliter contingit ratio generis. Exemplum fit in definitione hominis, quæ rationem hominis explicat per conceptum animalis secundum se sumptum, seclusâ omni alia ratione superadditâ animali secundum quam rationem animal formaliter non est genus, quia animal constituitur formaliter in ratione generis per formam extrinsecam, videlicet per abstractionem, ex vi cuius animal cognoscitur sine homine, & equo, quæ est cognitio confundens hominem, & equum. Sic contingit in definitione generis, ex vi cuius genus non definitur per genus, sed per prædicabile imbibitum in ipso genere, cui postea accidit denominatio generis, cum enim genus definimus, non dicimus *genus est genus de pluribus specie distinctis*: Sed genus est prædicabile de pluribus specie distinctis, cui conceptui prædicabilis in ipso genere imbibito accidentaliter conuenit ratio generis quatenus per cognitionem reflexam à genere abstrahitur, & confusè cognoscitur cum reliquis prædicabilibus, sicuti animali imbibito in homine, per quod essentia hominis explicatur, accidentaliter conuenit denominationi generis quatenus ab homine abstrahitur, & confusè cum reliquis animalibus cognoscitur.

6 Eadem ratione fit conceptum vniuersalis, qui secundum suam rationem essentialem latius patet genere, & est id, per quod genus explicatur, accidentaliter fieri inferius ipso genere quatenus illi contingit denominatio generis, quæ non est de conceptu quidditatio vniuersalis, quia vniuersale ex se, per quod genus explicatur, abstrahit à differentia constitutiva generis, & speciei, sicuti animal à rationali & inanimabili: est ergo vniuersale secundum conceptum quidditatum essentialem vniuersalis præcisè sumptum, natura quæ latius patet genere, & per quam genus explicatur, & ratione differentie generis, quæ illi accidentaliter accidit respectu quinque prædicabilium fit inferius ipso genere, quia formaliter vt denominatum tali differentia iam contrahitur ad tale genus, & non potest conuenire speciei, sicuti animal vt genus formaliter, non potest conuenire homini, aut equo. Quod verò vniuersale formaliter vt superius, & vt genus continetur sub aliqua specie, videlicet sub primo prædicabili, non est ex eo præcisè quia ab illo abstrahitur, animal enim formaliter vt superius, & vt genus sub nulla specie à qua abstrahitur continetur, sed quia denominatio generis, quæ contingit rationi vniuersalis abstracte ab omnibus prædicabilibus, constituit quoddam singulare genus, à quo, & à reliquis omnibus generibus abstrahit primum prædicabile, quod est species vniuersalis sub se continens tanquam propria indiuidua hoc & illud genus.

7 Secunda difficultas est, quid importet genus in eo quod quid prædicari. Prædicari in quid dicit prædicari essentialiter, quia dicit prædicari tanquam quidditas subiecti, quidditas autem rei dicit illius essentiam. Ex quo differt à proprio, & accidenti. Prædicari autem in eo quod quid, sentiunt nonnulli esse prædicari per modum partis materialis, seu per modum materiæ, quam in concretis quod appellare solemus. Ex hoc capite asserunt recentes isti genus differre à specie, & differentia, quia species prædicatur tantum in quid, quod est prædicari essentialiter & non vt partem, & consequenter vt totum, à differentia, quæ prædicatur in quale quid, quod est prædicari vt partem formalem essentialem, quia prædicari in quale, dicit prædicari vt partem formalem.

Non inficior genus ex eo differre à reliquis prædicabilibus, quia prædicatur tanquam pars materialis de suis inferioribus; ceterum gratis sibi fingunt hanc rationem partis exprimi per illam particulam quod appositam in definitione generis, neque id tantum sine fundamento contingunt, sed expresse contra Porphyrium, qui capite tertio de specie, speciem his verbis definiuit: *Species est quæ de pluribus differentibus nunciat in eo, quod quid est prædicatur*. Ex qua definitione clare euincitur particulam quod partem materiale non significari, siquidem species non vt pars materialis, sed vt tota quidditas prædicatur. Neque ratio aliqua ex ipsa rei natura, aut loquendi modo inuenitur potest ad asserendum particulam quod significari partem materiale, præcipue totius metaphysici, quod æquè dicit in recto genus & differentiam, quæ se habent insar materiæ, & formæ, homo enim æquè dicit in recto conceptum animalis, & conceptum rationalis. Dicitur ergo prædicari in eo quod quid prædicari tan-

quam id, quod est quidditas subiecti, quod dicit prædicatum subiecto essentiali, & æquè conuenit generi, speciei, & differentie, quia hæc non differt à duobus prædicabilibus ex eo quod prædicatur in eo quod quid, quia prædicari in eo quod quid nihil addit supra prædicari in quid, quod conuenit differentie, sed quia differentia non prædicatur in quid purè, sicuti duo priora prædicabilia, sed in quale quid.

Melius dicitur prædicari in quid esse prædicari essentialiter, & prædicari in quale esse prædicari per modum partis formalis quæ non opponuntur, cum confluant in differentiam, quæ prædicatur essentialiter, & per modum partis formalis, & ideo dicitur in quale quid prædicari. Iuxta hanc explicationem prædicandi in quid, prædicandi in quale, genus & species prædicantur in quid purè, quia prædicantur essentialiter, & non per modum partis formalis, & proprium, & accidens prædicantur in quale purè, quia prædicantur per modum partis formalis, & non prædicantur essentialiter. Restat modò aliquod caput assignandum, ex quo possumus cognoscere, quando prædicatum per modum partis formalis de subiecto dicitur, quod breuiter tradam. Quotiescunque prædicatum accidentale est subiecto, prædicatur per modum partis formalis siue nomine substantiuo, siue adiectiuo significetur, quia tale prædicatum dicit pro formali accidens, quod essentialiter habet esse partem formalem concreti, seu compositi, ad quod ordinatur, quia omne accidens essentialiter habet rationem formæ respectu subiecti, cui conuenit. Ex hoc inferes has prædicationes *Petrus est albus*, & *Petrus est artifex*, seu *Petrus est efficiens*, seu *effector* æquè esse in quale, etsi subiectum prioris nomine adiectiuo, & posteriorum subiecta nominibus substantiuus exprimantur. Cum verò prædicatum est essentiali indifferens est vt sit pars formalis, vel pars materialis, aut totum, & ita tunc videndum est, an significetur nomine substantiuo, vel adiectiuo, quod si nomine adiectiuo significetur, dicendum est significari per modum formæ, quia significatur per modum alteri adiacentis, quod proprium est formæ, quæ subiecto adiacet. Si verò significetur nomine substantiuo dicendum est non prædicari tanquam partem formalem, quia significatur per modum per se stantis, quod proprium est totius, & partis materialis, seu materiæ.

10 Proprium modum prædicandi generis, qui est prædicari per modum partis materialis, censéo explicari per hoc, quod est prædicari in quid purè de pluribus differentibus specie, quia eo ipso, quod prædicatur de pluribus differentibus specie, non potest prædicari tanquam tota essentia, quia tota essentia vnius speciei nequit esse communis alijs specie, & ita prædicatum huius speciei quod alijs est commune, non est tota essentia huius speciei, quia alijs specie conuenit, neque tota essentia alijs, quia conuenit huic. Infertur ergo genus non prædicari vt totam essentiam, ex eo quod prædicatur de pluribus differentibus specie, infertur etiam quod prædicatur essentialiter ex eo quod prædicatur in quid, & consequenter infertur, quod prædicatur vt pars essentialis, quia quod essentialiter prædicatur, & non vt tota essentia, necessariò prædicatur vt pars essentialis. Vltimò infertur non prædicari, vt partem formalem ex eo, quod prædicatur in quid purè, & pars formalis prædicatur in quale quid, & consequenter prædicari vt partem materiale, quia ex partibus tantum materialis in quid purè, & formalis in quale quid prædicantur.

11 Clariùs essentia generis definiretur quod prædicatur de suis inferioribus vt pars materialis. Per quam definitionem primâ terminorum apprehensione explicatur id, quod per longos discursus debemus inferre, & per id quid, & quod satis inuoluntè traditur, in hoc enim quod est de inferioribus prædicari conuenit genus cum reliquis prædicabilibus, & per hoc quod est prædicari per modum partis materialis differt à reliquis omnibus, quia species prædicatur vt tota essentia, & tria posteriora prædicabilia prædicantur vt partes formales. Vitatur etiam hac definitione vitiosus circulus, qui solet committi definiendo genus per differentiam, & differentiam per genus.

12 Inquirunt multi quod sit definitum huius definitionis, quos accusat neoterics quidam quasi serid in scholis interrogantes eodem modo, quo solemus puerulos simplices interrogare, quis pater filiorum Zebedæi? quodnam enim in definitione

definitione generis præter ipsum genus poterit esse definitum; Veruntamen non omnino contemnenda est interrogatio, petit enim quid intelligatur nomine generis cum dicimus per hanc definitionem genus definiti, & quod sit subiectum, cui hæc definitio conuenit, & ex vi illius definitum dicitur.

13 Duo enim dicit genus naturam, & secundam intentionem, & in his dubium est cui definitio conueniat, an naturæ, an secundæ intentioni, an concreto ex natura, & secundæ intentione resultanti, sed adhuc in hac questione vix mihi videtur posse contentionem locum dari, quia apud omnes certum esse debet definiti id, quod formaliter est genus, per hanc enim definitionem respondemus inquirenti, Quid est genus, & dicimus genus est quod prædicatur, &c. cum autem inquirimus, quid sit concretum aliquod accidentale, non rectè respondemus explicantes quidditatem subiecti, ineptè enim quis responderet inquirenti, quid est quantum, definiendo materiam primam, quæ est quantitatis subiectum. Quod si Scotus, quem sui sequuntur, asserat per hanc definitionem per se & in recto definiti secundam negat sententia, quæ asserit hanc definitionem non conuenire in recto secundæ intentioni, sed concreto, quod in obliquo secundam intentionem importat, ideo est, quia Scotus quest. 8. vniuersalem affirmat omnia concreta accidentalia importare in recto formam accidentalem, & in obliquo subiectum, & reliqui auctores, qui ab Scoto discedunt, asserunt concreta accidentalia dicere in recto subiectum, & in obliquo formam; omnes tamen in eo consentiunt, quod hæc definitio concreto accidentali constituto ex natura & forma accidentali conueniat, & eadem ratione applicari naturæ, & secundæ intentioni, quæ in concreto continentur, quia immediatè definitio de toto concreto prædicatur, & toti concreto primariò, & per se conuenit. Ratio est clara cum definitur genus, non explicatur natura animalis secundum se sumpta, hæc enim per viuentis sensibile deberet explicari, sed per hoc quod est prædicari de pluribus, quod illi est accidentale, & extrinsecum. Secundò conceptus obiectiuus explicatus per definitionem formalem non debet esse omnino contingens, & per accidens se habens respectu definiti; sed conceptus obiectiuus est omnino contingens, & per accidens se habet respectu naturæ secundum se sumptæ, cui accidentaliter, extrinsecè, & per accidens conuenit prædicabilitas respectu suorum inferiorum: ergo natura secundum se sumpta, non potest esse definitum huius definitionis.

14 Secundam intentionem secundum se sumptam, naturæ seclusa, non definiti per hanc definitionem, quod vulgò dicitur Caietanum docuisse cap. de genere, qui forsitan à Scoto non dissentit, haud difficiè probatur. Secunda intentio secundum se sumpta non est prædicabilis de suis inferioribus: ergo secundæ intentioni non conuenit hæc definitio. Deinde secunda intentio per se ipsam non est genus, neque denominatur genus, potius est generitas, quæ naturam genus denominat, ergo siue definitur, quod formaliter est genus, siue definitur, quod genus denominatur, non definitur secunda intentio, quæ neque formaliter est genus, neque denominatiue genus dicitur.

15 Standum ergo est communi sententiæ asserenti per hanc definitionem explicari concretum constitutum ex natura & secundæ intentione, quod dicitur prædicabile. Rationem huius conclusionis omnibus communem instituo. Illud est formale definitum cuiuscumque definitionis, cui formaliter conuenit definitio. Sed definitio formaliter conuenit concreto ex natura & secundæ intentione constituto: ergo hoc concretum est formaliter definitum. Minorem probò: natura secundum se non est prædicabilis, sed constituitur prædicabilis per secundam intentionem: ergo prædicabile formaliter dicit concretum ex natura, & secundæ intentione, sicut album dicit formaliter concretum ex pariete, & albedine constitutum, ex pariete tanquam ex subiecto, & ex albedine tanquam ex forma: ergo id, quod est prædicabile formaliter de pluribus per modum partis materialis est concretum ex natura, & secundæ intentione resultantem: ergo hoc est, cui formaliter conuenit definitio generis, & quod formaliter definitur.

16 Vulgare argumentum est ad probandum naturam tantum esse definitum huius definitionis, naturam tantum identificari cum suis inferioribus, ac proinde hanc tan-

tum de illis prædicari, quia id tantum de subiecto dicitur, quod cum subiecto identificatur. Ex quo inferitur naturam tantum esse prædicabilem de inferioribus, & consequenter ipsam tantum esse genus, quod est formaliter id, quod prædicatur, & est prædicabile de suis inferioribus. Vulgari argumento vulgaris solutio est, naturam prædicari vt quod, & secundam intentionem prædicari, vt quo, hoc est esse rationem formalem prædicandi. Veruntamen solutio ista obscura est nimis, & rem non omnino dirimit, videtur enim rationem formalem prædicandi esse rationem formalem, ex vi cuius prædicatum conuenit subiecto, & cum hæc non sit secunda intentio, adhuc ista ratio formalis prædicandi videtur non esse dicenda, & consequenter neque prædicatum vt quo, ideo placet clarioribus terminis difficultatem dirimere, huiusque materiæ veram doctrinam propalare.

17 In primis in memoriam reuocandum est vniuersale, & consequenter genus, quod species quædam est vniuersalis, non esse actum prædicatum, sed prædicabile, imò eo ipso, quod actum prædicatur de inferioribus non manere vniuersale, sed destrui illius formam, quæ est vnitas, quia prædicatio cuiuscumque vniuersalis de suis inferioribus, est diuisio ipsius vniuersalis in sua inferiora, ex vi cuius prædicationis, seu diuisionis destruitur illius vnitas, & vniuersalitas, & iam non manet vnum, & vniuersale, sed plura singularia. Consequenter ad hanc doctrinam diximus Controuersiâ præcedenti vniuersale formaliter vt vniuersale non prædicari, sed esse prædicabile, quod per ipsam prædicationem destruitur, sicut diuisibile per ipsam diuisionem definit esse diuisibile. Ex hoc inferes rationem formalem vniuersalis, seu prædicabilis de pluribus, quæ est quo generis, seu id, per quod genus formaliter constituitur non esse quo actualis prædicari, neque ad ipsius constitutionem pertinere, sed tantum ad ipsum præsupponi. Deinde ex eadem doctrina inferitur nullo modo, neque vt quod, neque vt quo actum prædicari id, quod formaliter est prædicabile, formaliter vt tale, sed subiectum, quod denominatur prædicabile per secundam intentionem, cum qua constituit prædicabile formaliter, iam nudum hac secunda intentione, & prædicabilitate actum prædicari secundum id, quod materialiter includebat concretum prædicabile, quod per prædicationem actualem destruitur, sicut destruitur diuisibile per diuisionem.

18 Ex hac doctrina facilè respondeo secundam intentionem neque vt quod, neque vt quo actum prædicari, hoc est, non esse prædicatum, neque formam, qua prædicatum constituitur, nihilominus esse formam quæ constituitur prædicabile de inferioribus per modum partis materialis, quod est definitum huius definitionis, genus enim non est prædicatum de pluribus differentibus specie sed prædicabile de pluribus differentibus specie, neque ita est prædicabile, quod quatenus tale est actum prædicatur, seu actum sit prædicatum, sed quod est prædicatum secundum sui partes & quod per actualem prædicationem, formaliter amittit prædicabilitatem de pluribus, & vniuersalitatem, sicut lignum est diuisibile, & formaliter vt diuisibile includit vnionem, licet formaliter vt diuisibile, & vt includens vnionem non sit actum diuisum, potius vt diuisum, dicit negationem vnionis, quæ nunquam vt talis est diuiditur, sed definit esse per diuisionem, nihilominus formaliter pertinet ad diuisibile, vt diuisibile est, & cum diuisibile definitur non tantum definiuntur partes secundum se, quæ actum diuise remanent, & separate, sed hæc partes vt includentes vnionem. Sic prorsus contingit in genere, & in quocumque prædicabili, quod formaliter vt prædicabile est vnum includens tanquam vnionem secundam intentionem, quæ non prædicatur vt quod, sed constituit vt quo prædicabile vt prædicabile de pluribus, & vt vnum, quod per prædicationem actualem amittit prædicabilitatem de pluribus, & vnitatem, quam habebat per secundam intentionem.

19 Argumenta, quæ contra nostram sententiam obici solent leuis sunt momenti: vnum est, per definitionem hanc non explicari essentiam aut passionem naturæ, ex quo inferri intenditur nullo modo esse definitum huius definitionis. Respondeo per hanc definitionem non explicari essentiam, aut passionem naturæ secundum se, explicari tamen essentiam concreti resultantis ex natura, & secundæ intentione, & ita hoc concretum esse definitum talis definitionis, quod essentialiter includit naturam. Alterum argumentum est concretum ex natura, & secundæ intentione

tione esse quoddam aggregatum per accidens, cuius non potest dari definitio, ac proinde dici non posse tale concretum esse definitum huius definitionis. Respondeo de Concreto omnino per accidens, cuius partes nullum habent ordinem, neque respectum saltem extrinsecum non posse dari definitionem aliquam, neque de concreto accidentali includente materiam, & formam spectantes ad diversa predicamenta, etiam cum vnione, & ordine inter se non posse dari vniam definitionem, quæ quidditatiuè explicet naturam cuiuscumque partis secundum se sumptæ vt condistinctæ ab alijs; posse tamen dari definitionem, quæ explicet essentiam partium præcisè quatenus formaliter conducunt ad illud totum, & quæ explicet totum, quod ex illis componitur formaliter sumptum, sic definiuntur exercitus, musica, Respublica, & alia huiusmodi tota. Neque contra hanc doctrinam aliud argumentum alicuius momenti inuenio.

PUNCTUM II.

An genus predicetur vt pars vel vt totum potentiale vel actuale.

1. **Q**uestionem leui momenti leui operâ peragam. Genus potest considerari vt totum quoddam actu compositum ex alio genere superiori, & ex differentiâ animal, v. g. ex viuente, & ex sensitiuo, sub qua ratione dicitur totum actuale. Hæc ratio non pertinet ad constitutionem generis neque ad illius rationem formalem, quia genus supremum, quod propriè est genus hac compositione caret. Secundò conceptus animalis formaliter, & intrinsecè non dicit talem compositionem, sed tantum extrinsecè, vt probabo Controv. 6. Punct. 2. n. 6. & seq.

2. Genus totum, potentiale dicitur, quæ denominatio optimè potest illi competere, quatenus est quoddam totum, quod in potentia continet plures species, & quatenus potest in illis reperiri, & per illarum differentias contrahi. Sub hac etiam ratione pars specierum potest dici, non actu illas componens, sed potens illas componere, quia licet totum dicatur respectu illarum, quia omnes illas in se includit, & ultra quamlibet in particulari se extendit ad aliam, & ad omnes ita vt non latius pateant omnes species simul sumptæ, quàm genus, quod proprium est totius, quod se extendit ultra quascumque sui partes, in quibus non illarum tota collectio continetur cum qua iuste commensuratur, nihilominus eatenus potest ad quamcumque speciem contrahi, quatenus potest coniungi cum differentia constitutiva illius speciei, & sub hac ratione potest dici pars potens componere quamcumque speciem. Neque illa ratio totius potentialis, cum hac ratione partis opponitur, quia sub diuersis rationibus genus dicitur totum, & dicitur pars: totum dicitur in ordine ad extensionem specierum, quatenus ultra hanc, & illas, ad alias potens est se extendere quovis cum omnium collectione adequatè commensuretur; pars verò dicitur quatenus potens est contrahi in ordine ad quamcumque speciem, & quatenus potest adiungi cum differentia constitutiva talis speciei, & cum illa speciem constituere, & componere ea ratione, quâ species potest dici composita. Potest etiam genus totum potentiale dici respectu specierum, quatenus pro materiali speciebus omnibus constat, ex quibus componitur; possunt autem species istæ dici partes potentiales, & genus totum potentiale denominari, quatenus sub distincto specierum conceptu actu non continentur in toto, quo inter se per conceptum generis confunduntur, sed tantum sub hoc expresso conceptu dicuntur esse in potentia in genere, à quo possunt extrahi, & diuiso genere distinctè vt membra diuidentia, quæ partes sunt totius, cui contigit diuisio, sub expresso conceptu distinctè cognosci.

3. Rationes istæ totius potentialis, & partis potentialis generi conueniunt, vt genus est, quia de essentia generis est posse se ad omnes species extendere per predicationem, quod est posse de omnibus prædicari, & posse quamcumque speciem componere, quod est contrahi per differentiam illius speciei constitutivam, ex quo infero genus esse prædicabile vt est totum potentiale, & pars potens componere omnes species, quia hæc habet vt genus, & vt genus est prædicabile de pluribus speciebus. Infero si-

militer genus in actuali predicatione non retinere rationem totius potentialis, quia per actuale predicationem contrahitur ad hanc speciem, de qua prædicatur, & iam non manet sub illa ratione, sub qua prædicatur commune alijs speciebus. Eadem ratione inferitur non manere genus in actuali predicatione partem potentem componere species alias distinctas ab illa, à qua prædicatur, siquidem secundum rationem, secundum quam, per predicationem coniungitur cum differentia huius speciei, de qua prædicatur, non potest coniungi cum alijs differentiis. Ex quibus fit genus non prædicari vt totum potentiale, neque vt partem potentem componere plures species; sicuti non prædicatur vt genus, neque vt vniuersale, sed predicationem generis tantum posse dici esse predicationem totius potentialis, & partis potens componere plures species, eo sensu quo dicitur eandem predicationem esse predicationem generis, & vniuersalis, hoc est, naturæ, quæ ante predicationem actualem cum alijs confusa denominabatur totum potentiale, & pars potens componere plures species, & quæ in actuali predicatione ex parte prædicati, quod in actuali predicatione contrahitur, præcisè sumpti eadem ratione significatur, quâ ante actualem predicationem, & contractionem factam, ex vi illius significabatur.

4. Infero similiter genus, quod ante actualem predicationem erat pars potens componere per predicationem actualem constitui partem actualem metaphysicam speciei, quam componit. Ratio est quia posse componere plures species nihil aliud est quàm posse contrahi per plures differentias, cum quibus plures species constituatur; ergo componere actu plures species erit contrahi per plures differentias ad plures species: ergo componere hanc speciem erit contrahi per hanc differentiam ad hanc speciem: sed contrahi per hanc differentiam ad hanc speciem est prædicari de hac specie: ergo per predicationem actualem quæ est contractio, constituitur genus actu speciem componens. Secundò: genus componere speciem, eo modo quo illam componit, de quo dicam disputans de differentia, nihil aliud est, quàm coniungi cum differentia, quam simul cum genere includit species tanquam sui partem essentiali: sed per predicationem coniungitur genus cum differentia: ergo per predicationem constituitur pars actualis.

5. Concludo ex his genus prædicari vt partem actualem de specie, quod non ita intelligendum est, vt predicatione terminetur ad ipsam rationem formalem partis vt actu componentis, seu ad ipsam actualem compositionem, sed ad partem secundum se, quæ constituitur actu componens per ipsam predicationem. In hoc sensu potest dici genus vt partem potentialem, & vt totum potentiale prædicari de specie, hoc est predicationem generis de specie terminari ad naturam, quæ ad ipsam predicationem supponebatur vt pars potentialis, & vt totum potentiale, & constituitur per ipsam predicationem pars actu componens, eâ ratione quâ diuisio terminatur ad totum, quod ad diuisionem supponebatur vnitum, & per diuisionem constituitur non vnitum, sed diuisum. Hac ratione componi poterunt diuersæ opiniones circa hanc questionem, opinio enim, quæ asserit genus prædicari vt totum potentiale, & vt partem potentem componere, vera est, si intelligatur de genere sub illa ratione, quâ supponitur ad predicationem, sicuti verum est dicere, diuisionem terminari ad totum vnitum, si sermo sit de toto quatenus ad diuisionem supponitur. Opinio autem quæ asserit genus non prædicari vt totum potentiale, neque vt partem potentialem, sed vt partem actualem, vera est, si intelligatur de genere sub illa ratione, sub qua constituitur ex vi predicationis, sicuti loquendo de diuiso sub ratione, sub qua constituitur ex vi diuisionis verum est dicere, non terminari ad totum vnitum, sed ad totum scilicet in membra diuidentia.

6. Partem metaphysicam, quæ ex eo pars dicitur, quod non dicat expressè quidquid totum, dicere confusè quidquid dicit totum, est certum apud omnes, in hac enim predicatione *homo est animal*, ethi rationale non expressè ponatur ex parte prædicati, confusè continetur in illo, & ob hanc rationem potest dici genus prædicari vt totum confusum de specie, quia omne prædicatum saltem confusè dicit quidquid continet subiectum, aliàs predicatione non esset vera, sicuti non est vera predicatione *homo est caput*, quia homo præter caput dicit partes alias, quas neque distinctè, neque